DE AUGUSTISSIMI IMPERATORIS R. G. JURE CIRCA CONSTITUTIONEM PONTIFICIS ROMANI COMMENTATIO

PER MODUM

PROGRAMMATIS INVITATORII

AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM BEHRISCHIANAM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PUBLICAE LUCI EXPOSITA

A

DIET. HERM. KEMMERICHIO

J. U. D. ET PROF. P.

COLLEG. JURID. ASSESSORE ET H. T. DECANO

VITEMBERGÆ

ANNO M DCC XXIV.

LITTERIS GERDESIANIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DUm ſeſe nobis offert *CANDIDATUS NOBILISSIMUS*, qvi ad ſummos in utroqve Jure adſpirat honores, in mentem mihi veniunt *CANDIDATI EMINENTISSIMI*, qvi ad ſummam in Eccleſia Romana dignitatem evehi non ita pridem ſumma ope nixi ſunt: In mentem ſimul veniunt molimina ſummorum Regum ac Principum, qvi, ut ad ſummum iſtud Honoris Sacri faſtigium promoverent ſuis partibus addictos, excluderent vero adverſos, nihil fecerunt reliqvi: in mentem deniqve veniunt *Jura*, qvæ AUGUSTISSIMO IMPERATORI noſtro circa *conſtituendum Eccleſiæ Romanæ Caput* vel olim competierunt, vel adhuc forte competunt. Eqvidem negari neqvit, prioribus tribus Seculis Epiſcopos, uti alios, ita & Romanos, ab univerſa Eccleſia, *Clero & Populo*, fuiſſe electos: qvem modum *traditionem Divinam & Apoſtolicam obſervationem* appellat CYPRIANUS, (*a*) licet nihil de eo ab Apoſtolis lege immutabili ſancitum legatur. At enim vero, ex qvo Imperatores Romani Chriſto nomen dederunt, ipſimet, ſui veluti Juris officiiqve memores, tam Pontificem Romanum, qvam reliqvos Epiſcopos, conſtituerunt, qvoties libuit, vel ſaltem non temere qvemqvam ad Epiſcopalem dignitatem provehi paſſi ſunt, niſi

 acce-

(*a*) *Epiſt. 68.* Add. DION. PETAV. de Hierarch. Eccleſ. Lib. 1.

accedente ſuo conſenſu, ſuaque confirmatione: haud dubie, qvod Epiſcopi magnæ in populo auctoritatis eſſent; unde providendum erat, ne forte, Demagogis improbis ac turbulentis ſacro hujusmodi officio admotis, Reſp. detrimenti qvid caperet. (b) Hinc ſtatim à CONSTANTINI M. tempore obtinuit, ut nemo Pontificum Romanorum, cujus eligendi poteſtas apud plebem fuit & ſacrum ordinem, prius ordinaretur, qvam, transmiſſo Conſtantinopolim electionis decreto, auctoritas Imperatoria accederet: idqve *ſecundum antiqvam conſvetudinem* factum fuiſſe, ipſa Romanorum Pontificum geſta oſtendunt. (c) Qvin & pretio, Auguſtæ Poteſtati à Romanis pendi ſolito, iſta novi Præſulis Romani confirmatio redimenda erat: qvod CONSTANTINUM IV. qvidem Agathoni demum Pontifici remiſſe, SIGEBERTUS GEMBLACENSIS (d) auctor eſt, ita tamen, ut, remiſſis ſportulis, qvod caput cauſæ erat, confirmationis petendæ neceſſitas, integra maneret. Varia qvoqve, inde à Seculo IV. hujus Juris ab Imperatoribus circa conſtitutionem Epiſcoporum imprimis Romanorum, exerciti, extant exempla. Ita enim *LIBERIUS* Papa à CONSTANTINO M. accepit *Epiſcopatum Romanum.* Ita electis, poſt *ZOSIMI* Epiſcopi obitum, eodem tempore duobus, *BONIFACIO* & *EULALIO*, cauſaqve ad Imperatorem HONORIUM delata, hic utriqve, ne ante litem finitam Romam adirent, interdixit: cumque *EULALIUS*, neglecto Imperatoris interdicto, ſacrum munus nihilominus ſibi arrogaſſet, hunc in exilium egit, *BONI-*

(b) v. CONRING de Conſtit Epiſcop. §. 19. 20 BALVZ. Not. ad Agobard. p 122. MARCA de Concord. Imp. & Sacerdot. Lib. VIII. Cap IV § 9.

(c) v HENNIGES de Summa Imp. Poteſt. circa Sacra Cap. VII §. 8.

(d) Ad Ann. 680 ibi: *ut ſi contingeret, poſt ejus tranſitum, electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in Regiam urbem, ſecundum antiquam conſvetudinem, ut cum eorum ſcientia & juſſione debeat provenire.*

BONIFACIO vero Juſſu ſuo Epiſcopatum firmavit. (*e*). Idem Juris poſtmodum qvoqve Orientales Imperatores, qvamdiu Roma ipſorum imperio fuit ſubjecta, exercuerunt, ita, ut non eligere liceret Pontificem, niſi conſentiente Imperatore: qvod etiam Romæ perdiu accurate obſervatum eſt. Qvapropter cum *PELAGIUS II.* electus & conſecratus eſſet, non impetrata Cæſaris approbatione, miſſus eſt Conſtantinopolin Gregorius tunc Archi-Diaconus, ut iſtud factum excuſaret: qvod, obſeſſa per Longobardos Urbe, Imperator Conſtantinopoli non potuerit adiri (*f*). Qvin adeo nihil Populi Romani valuit electio, neglecto Cæſaris conſenſu, ut *GREGORIUS* Pontifex proclamatus (qvi rariſſima modeſtia oblatam ſuffragiis dignitatem anxie fugiebat) & Præfectus Urbi, adverſis epiſtolis; non alibi, qvam apud Imperatorem *MAURITIUM*, ille confirmationem deprecaretur, hic ſupplex urgeret; haud neſcia utraqve parte, ſive probaverit Imperator electionem, ſive impoſitum onus, ut Gregorio viſum, in alium juberet transferri, parendum eſſe (*g*).

Eadem poteſtas, qva Conſtantinopolitani Imperatores circa conſtituendum Pontificem Rom. gaviſi fuerant, poſtea ad CAROLUM M. cum primum Advocatus Eccleſiæ Romanæ, deinceps Patricius Romanorum, ac tandem Imperator Romanorum Auguſtus appellatus eſſet, tranſiit, ab *HADRIANO* Papa, in Concilio Lateranenſi, ſuffragantibus 153. Epiſcopis atqve Abbatibus, Populoque Rom. ſolenniter agnita atqve firmata (*h*). Eandem poteſtatem

etiam

(*e*) v. BARON. ad ann. 418. LUITPRAND in Vit *Bonifacii*, Oper. Antverp an 1640. edit p 219. ibi: *Præcepto Imperatorum in urbem eſt revocatus, & in ſede ſtabiliter conſtitutus.*

(*f*) AIMOIN. Lib. III. Cap 38 BARON. ad an. 590.

(*g*) CLUVER. Epit. Hiſt in Imp. *Maurit.*

(*h*) Decretum HADRIANI refert SIGEB ad an. 773 & ex eo GRATIAN. Diſt. 63. cap. 22, ſed plenius iſtud, ex vetuſtiſſimo libro Florentino

Digitized by Google

etiam Succeſſores CAROLI M. exercuerunt atqve conſervarunt: Sicut &, tempore ARNULPHI, ejusqve Anti-Cæſaris LAMBERTI, in Synodo Ravennatenſi denuo decretum eſt, Conſecrationem Pontificis non, niſi præſente Imperatore, aut ejus Legato, peragendam (*i*). Nec qvidqvam mutatum, cum Auguſta Imperii Rom. Dignitas ad OTTONEM M. translata eſt; qvin uti ipſe ſummam & verè Cæſaream in Pontificem Rom. obtinuit poteſtatem, ita & Jus eundem conſtituendi vel exauctorándi ſtrenuè ſibi aſſeruit. Hinc, poſtquam Romæ coronatus fuit, ſtatim anno ſeqventi, Jurejurando ſe obſtringere oportuit cives Romanos, *nunqvam ſe Papam electuros & ordinaturos, præter conſenſum atqve electionem Domini Imperatoris OTTONIS Cæſaris Auguſti, Filiiqve ipſius, Regis OTTONIS.* Rogavit autem tunc Synodus Epiſcoporum ab OTTONE congregata, ut *JOHANNEM* Papam exui honore, & alium in ejus locum eligi, pateretur; qvod utrumqve effectum eſt (*k*). Eidem porro OTTONI, omnibusqve ejus ſucceſſoribus *LEO VIII. in perpetuum conceſſit facultatem ſibi eligendi ſucceſſorem; atqve ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi;* adeoqve decretum Lateranenſe, quod idem Juris

ris

rentino extractum exhibet THEODORICUS a NIEM, & ex eo SCHILTER Inſt. I. Publ. Tom II p. 1. ibi: ADRIANUS *Papa cum omni Clero & Populo, ac univerſa ſancta Synodo, conceſſit* CAROLO AUGUSTO *omne ſuum jus & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem &c. Si quis contra repugnaverit--ſciat, ſe in iram B. Petri--caſurum, & anathematis vinculo damnatum perpetuo victurum &c.*

(*i*) v. Decretum ap. SIGON. de Regn. Ital Lib. VI. p 145. ibi: *Quia ſancta Rom. Eccleſia, moriente Pontifice, multas patitur violentias, quod inſciente Imperatore, aut Legatis ejus abſentibus, Pontifex conſecretur,--volumus, ut poſthac Pontifex, convenientibus Epiſcopis, & univerſo Clero, Senatu, & Populo expetente, legatur, atque ita in conſpectu omnium celerrime electus ab omnibus, præſentibus Legatis Imperatoris, conſecretur.*

(*k*) v. LUITPRAND. Lib. VI. add CONRING. de Imperatore Rom. Germ; §. 49. 50.

ris CAROLO M. adſeruerat, OTTONI renovavit. (*l*) Nec latuit Cives Romanos Jus illud Cæſareum eligendi ex arbitrio Pontificem: unde *Legati Romanorum Imperatorem pro inſtituendo, qvem vellet, Rom. Pontifice in Saxonia adierunt, honorifice ſuſcepti atqve remiſſi* (*m*). Eadem poteſtate Cæſarea in conſtituendo Pontifice, & qvidem non ſine ſeveritate, uſus eſt OTTO III. qvippe qvi non ſolum Brunonem conſangvineum ſuum, qvi poſtea *GREGORIUS V.* dictus eſt, Pontificem creavit, ſed etiam cum eodem tempore Creſcentius Conſul Principatum urbis ſibi ſumſiſſet, aliumque inſtituiſſet Pontificem; illum qvidem juſſit præcipitari, huic vero & manus amputari, & aures abſcindi, & oculos erui (*n*). Atqve ſic omnes Pontifices Romani, aliiqve Archi-Epiſcopi pariter ac Epiſcopi, pedum Epiſcopale tunc ex Imperatorum manibus acceperunt, veraqve hæc Cæſarea poteſtas integra manſit ad HENRICUM usque IV. cujus pater, HENRICUS III. adeo Jure ſuo uſus eſt, (*o*) ut non dubitaverit BARONIUS illum hoc nomine neſcio cujus hæreſeos Henricianæ auctorem proclamare (*p*). Imo ipſe *GREGORIUS VII.* Papa, inconſulto HENRICO IV. electus, initio non ſolum ea propter ſeſe excuſavit, ſed etiam ordinari prius noluit, quam de conſenſu Imperatoris certus eſſet (*q*): Licet is primus, in

audito

(*l*) Extat Decretum LEONIS ſed contractum ap. IVON. Carn. in Pannom. Lib. VIII. Cap. 136 & GRAT. Diſt 63. Cap. 23. integrum vero apud THEOD. a NIEM de Jurib & Privileg Imp. p. 248. it. GOLDAST. Conſt. Imp T. I p. 34. & SCHILT. l. c. p. 80.

(*m*) Contin. REGINONIS ad a. 965.

(*n*) BARON. ad an. 996. CONRING. de Imperat. R. G. §. 50.

(*o*) Tribus Antipapis enim canonica & imperiali cenſura depoſitis, Svitgerum, Babenbergenſem Epiſcopum, Papam conſtituit. v. SIGEB. ad a. 1046. *Annal. Sax.* ad an. 1047. T. I. Script. rer. Brunſv. p. 577. *Jurantibus* quoque *Romanis*, ut Monachus triumfontium ad a. 1046. addit, *ſc, ſine Ejus conſenſu. Ejusque ſucceſſorum, nunquam Papam electuros.*

(*p*) ad an. 1046. CONRING. l. c. §. 51.

(*q*) SCHAFFNAB. ad a. 1073. fol. 488. ibi; *ſc, DEO teſte, honoris hu-*

jus

audito facinore, non ſolum hac poteſtate, ſed & ipſa Cæſarea dignitate HENRICUM IV. exuere auſus fuerit. Ab hoc autem tempore contentio inter Regnum & Sacerdotium, Anteſignano eodem *GREGORIO*, de inveſtitura inprimis Epiſcoporum per baculum & annulum enata eſt, ita tandem finita, ut Imperator HENRICUS V., ſolenni transactione cum *CALIXTO II.* inita, jus iſtud inveſtituræ Pontifici cederet, inque omnibus Eccleſiis, ſuo imperio ſubjectis, canonicam electionem & liberam conſecrationem fieri permitteret (*r*): Quamvis non defuerint Imperatores, qui priſtina Imperii jura ſubinde vindicare conati ſunt. Quod vero ad Electionem Romani Pontificis attinet, de qua nihil iſta transactione definitum eſt, varia de ea extant decreta papalia, quibus eadem magis magisque formata, atque commodis papalibus accommodata fuit. Et cum inprimis grave Pontificibus eſſet, Senatum quoque, Populumque Romanum, ſeſe electioni papali immiſcere, omnem moverunt lapidem, ut utrumque ab eadem excluderent. Primus hoc tentavit *INNOCENTIVS II.* atque A. 1443. perfecit. Cum enim Romani publico edicto Papam a regimine Urbis arcere, atque in Eccleſiam

jus apicem nunquam affectaſſe, ſed electum ſe--cogi tamen nullo modo potuiſſe, ut ordinari ſe permitteret, donec NB. in electionem ſuam tam Regem, quam Principes Regni Teutonici, conſenſiſſe, certa legatione cognoſceret.

(*r*) Verba transactionis ſunt: *Ego* HENRICUS *D. G. Rom. Imp. Aug. pro amore DEI & S. R. Eccleſiæ & Dn. Papæ Calixti, & remedio animæ meæ, dimitto DEO & SS. DEI Apoſtolis, Petro & Paulo, Sanctæ, Cath. Eccleſiæ omnem Inveſtituram per annulum & baculum; concedo, in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno vel Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem, & liberam conſecrationem.* Viciſſim: *Concedo*, inquit Papa, *electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in præſentia tua* (Imperatoris) *fieri absque ſimonia & aliqua violentia; ut ſi aliqua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas.* v. GOLDAST. Conſt. Imp. f. 55. CONRIN. de Conſt. Epiſc. §. 56. 57. ZIEGLER. de Epiſc. L. 2. C. 11. §. 13. HENNIG. l. c. §. 28. 29.

cleſiam relegare non eſſent veriti, hic, facinus ulturus, Populum Romanum a ſacris amovit, atque Pontificiorum jure Comitiorum, cujus a primis temporibus ad eum usque diem particeps fuerat, ſpoliavit (*s*). Ita, excluſo Populo, electio Pontificis ſolis *Clericis Cardinalibus*, quorum præcipua dudum in ea auctoritas fuerat, eſt relicta. At cum diſſidentibus Cardinalibus, ſæpe plures Papæ ſimul eſſent electi, atque Schiſma, non ſine ſcandalo, in Eccleſia Rom. exortum: ab *ALEXANDRO III.* fuit decretum; *ſi inter Cardinales de Pontifice eligendo convenire non poſſit, Pontificem e duabus partibus eligendum.* (*t*): quæ forma electionis hodieque ſervatur. Cum uero nihilominus experientia docuerit, Senatum Purpuratorum ſæpe in partes iviſſe, ita, ut pars Romæ alium, alium pars Avenione Papam elegerit: electio deinceps tantum in *conclavi* Romano ſuſcepta, imo ex decreto *JULII II.* Conciliis quoque ademta, atque ad ſolum Pontificum Collegium in Conclavi congregatum, reſtricta fuit. (*u*).

Jam quid juris AUGUSTISSIMO IMPERATORI noſtro circa *conſtitutionem Pontificis* reliquum ſit, curatius perveſtigare operæ pretium fuerit. Certe nondum priſtinis juribus ſuis prorſus Imperatorem excidiſſe, omnino propitia veritate aſſerendum videtur. Licet enim varia decretis Pontificum circa electionem Papalem conſtituta, eademque ſoli Purpuratorum Collegio demandata fuerit: hæc tamen IMPERATORI fraudi eſſe nequeunt, quippe qui jure ſuo ſine ſuo conſenſu ſpoliari non potuit. Quamvis nec ullum extet decretum, quo IMPERATOR ab electione Pontificis expreſſe fuerit excluſus: Sicut neque extat pactum, quo juri ſuo renunciaverit AVGV-

B STUS

(*s*) v. SIGON. de Regno Ital. Lib. II. p. 275.
(*t*) v. SIGON. l. c. Lib. 13. n. 336.
(*u*) v. GUICCIARD. Hiſt. Ital. L. 11. p. 401.
(*x*) v. AVENTIN. Annal. Boj. Lib. 6. circa fin.

STUS (x). Transactio HENRICI V. & *CALIXTI II.* ad Epiſcopatus Regni Teutonici ſpectat, neque adeo cum electione Pontificis Romani quidquam habet commercii. Sane poſt hanc transactionem adhuc, FRIDERICO I. Imp. auctore, in Conventu Epiſcoporum Senatusque Imperii, decretum, *nullum poſthac fore Pontificem. Maximum, niſi qui, more Majorum, conſenſu Imperatoris creetur, atque nuncius duntaxat Chriſti, Succeſſorque Petri, non etiam Cæſareæ potentiæ pertinax æmulus eſſe velit.* Et quamvis LUDOVICUS IV. Romanis Electionem Pontificis conceſſerit, (y) hoc ipſo tamen jure ſuo Cæſareo circa conſtituendum Pontificem ſe non exuit: quippe quod ipſe, *NICOLAUM V.* Pontificem creando, ſtrenue adhuc exercuit (z).

Firmum igitur manet Jus Auguſti, vi cujus nec hodie Pontifex Romanus citra *conſenſum* IMPERATORIS eſt eligendus, imo nec, niſi præſente Imperatoris Legato, electio temere forte ſuſcipienda. *Jus conſentiendi*, ne ſit inefficax, etiam jus diſſentiendi complectetur, atque adeo *jus excludendi* eum, qui minus idoneus ad Sedem Papalem videtur, producet. Quod licet etiam Reges Galliæ & Hiſpaniæ ſibi ſumant; non tamen eodem jure, quo Imperator, iſtud exercent: Siquidem illis nunquam jus conſtituendi Pontificem fuit, quo tamen ab omni ævo gaviſus eſt IMPERATOR. Unde magis per occultas artes ac machinationes id agunt, ut in partes ſuas trahant Cardinales, atque adeo ex voto ſuo eligatur Papa (*aa*). Imperator contra jure optimo maximo, pro ea, qua omni tempore in hoc negotio polluit, auctoritate, excludit minus idoneos. Gravior eſt diſceptatio, an & *jure arbitrandi* gaudeat Imperator inter Purpuratos, circa eligendum Pontificem diſſidentes:

(y) v. Cap. 30. Diſt. 63.
(z) v. BODIN. de Republ. p. 179. D. GLAFEY Hiſt. Germ. Polem. Lib. II. Cap. VI. p. 418.
(*aa*) v. MULZ. Majeſt. Imperat. Part. II. Cap. XXXIII n. 98.

tes: exemplo illius juris, quod ipſi transactione Calixtina, in Epiſcopatibus Regni Teutonici eſt relictum. Equidem adhuc hodie diſſidia ſæpe maxima circa electionem Pontificis enaſci, vel noviſſima electio, ſatis diu hinc protracta, ſuo comprobat exemplo: dum præter illos, qui AUGUSTI IMPERATORIS partibus favebant, factiones *Gallica*, *Hiſpanica*, *Italica*, *Albanica*, *Zelantium*, Conclave inter ſe dividebant. At non facile caſus aut locus videtur exiturus, ubi arbitrio ſuo Cæſar terminare queat diſſidia electionis: eo quod, ex decreto *ALEXANDRI III.* non poſſit eligi Pontifex, niſi qui a duobus Purpuratorum partibus ſit electus. Nihilominus, ſi forte eveniat, ut vota Cardinalium alia ratione non poſſint conciliari, annon tunc Jure ſuo uti, atque partes ſuas interponere & poſſit & debeat IMPERATOR, ne Eccleſia Romana diutius careat Epiſcopo, quod cenſet MULZIUS, Conſiliarius quondam Aulicus Imperialis (*bb*), aliis penſitandum relinquo. Denique & *jus confirmandi Pontificem electum*, more priſtino, exercere integrum Imperatori videtur: cum neque hoc jure ſuo ſe abdicaſſe ullibi reperiatur. Certe usque adhuc Imperator, ſi non expreſſe, ſaltem tacite, Pontificem confirmare cenſetur, dum electum non repudiat: quod quidem temere & absque graviſſima cauſa non fiet. Imo Collegium Cardinalium ita rebus ſuis providet, ne alius eligatur, niſi quem ab Imperatore probatum iri certo conſtat, neque adeo juſta Imperatori detur cauſa electum non admittendi. (*cc*). Sed hæc omnia ulteriorem forte meditationem ſibi poſcunt, ac disquiſitionem, quam inſtituti ratio jam non admittit. Igitur propoſiti memor, redeo ad

 NOBI-

(*bb*) l. *c.* n. 98. Eidem ſententiæ favet Dn. D. GLAFEY l. c. *Lib.* I. Cap. XIII. p. 234.

(*cc*) Conf. MULZ. l. c. n. 94.

NOBILISSIMUM ATQUE CONSULTISSIMUM
JURIS UTRIUSQUE CANDIDATUM NOSTRUM
DOMINUM
WOLFFG. ALBRECHTUM BEHRISCHIUM
DRESDENSEM,
Cauſarum Patronum, Albo-Advocatorum dudum ſuo merito inſertum.

de cuius origine, vita & ſtudiis nonnulla, more recepto, commentabor. Primam is lucem adſpexit in illuſtri ac ſplendida Aulæ Regio-Electoralis ſede, quæ *DRESENÆ* nomine celebratur, & quidem d. 22. Sept. A. M DCXCVIII. Parentem veneratur Virum, varia eruditionis morumque integritatis, ac prudentiæ laude inſignem, HIERONYMUM GODOFREDUM BEHRISCHIUM, Civitatis Dresdenſis Syndicum ultra annos LIII. de ſalute publica non fruſtra ſollicitum, necdum octogeſimo ætatis anno defatigatum. Avus fuit CHRISTIANVS BEHRISCHIVS J. V. D. Equeſtris feudi *Greislaviæ inferioris* Dominus, & Dicaſterii Aulæ Saxo-Martisburgenſis Conſiliarius qvondam meritiſſimus. Abavus, JOHANNES BERISCHIVS, primum Quæſturæ Provincialis Scholæ Grimmenſis, poſt modum ditionis Weiſenfelſenſis reditibus Electoralibus per decurſum L. annorum Præfectus. Atavum habuit JOHANNEM BEHRISCHIVM, Armamentariorum per Electoratum Saxonicum rationibus Præfectum primarium. Matrem porro filiali amore proſequitur Matronam, præclaris virtutibus conſpicuam, JOHANNAM AMALIAM, *JOHANNIS GEORGII* de HANTSCMANN, Equeſtris militiæ Centurionis filiam: *VRBANI* de HANTSCMAN J. V. D. Comitis Palatini Cæſarei & in ſtatum Nobilium ſpeci-

ſpeciali RVDOLPHI Imperatoris gratia evecti, neptem. Sacro Baptiſmate regenitus omni cura ad eam usque ætatem educatus fuit, qua ad literas animum applicare ipſi licuit: Tunc privata informatione latinis æque ac græcis imbutus fuit literis, diverſis ad hoc ſelectis uſus Pædagogis, usquedum una publicas Lectiones Viri Præclariſſimi M. JONÆ GELENII, Scholæ Senatoriæ ad D. Crucem Rectoris meritiſſimi & M. JOH. GIDEONIS GELII ejusdem Scholæ Conrectoris ſolertiſſimi, frequentare potuit.

Deinceps menſe Apr. A. 1712. in Gymnaſium, quod Freibergæ floret, miſſus, curæ & informationi Viri itidem Præclariſſimi M. MOLLERI, Rectoris Gymnaſii tam literis quam moribus maxime celebris, creditus fuit, ubi humanioribus litteris ſtrenuam navavit operam, & præprimis arte oratoria, ejusque exercitiis crebris publice habitis, ſat felix, quod ipſi a Summo conceſſum eſt Numine, ingenium excoluit. Suaſit autem ſanitatis ratio, ut, relictis hiſce montium jugis, & exhalationibus metallicis, mitius cœlum in iſta ætate quæreret. Gymnaſium ergo, quod Zizæ eſt, Epiſcopale electum, quo & menſe Septembris A. 1714. miſſus fuit, ut ibidem M. GODOFREDI GLEITSMANNI, Rectoris præclare de multis doctrinæ avidis meriti, cura & ductu, ut & Clariſſimi Viri, M. HERTZOGII, Conrectoris, lectionibus publicis & privatis uteretur; a quibus fideliter inſtructus elegantioribus litteris unice incumbere non deſiit, & quod cœpit, Eloquentiæ ſtudium excolere perrexit; unde & induſtriæ & morum excultorum encomium reportavit. Ad altiora poſtmodum ſtudia ut progrederetur; *JENENSEM* Academiam anno 1716. petiit, & a Magnifico Pro-Rectore, MICHAELE FOERTSCHIO, S. S. Theologiæ Doctore & Profeſſore Primario, albo civium Academicorum inſcriptus, doctrinis Philoſophicis, ut rite nimirum & ordine ſtudia pertractaret ſua, & qvidem in *Logica* & *Ethica* a Viro Præclariſſimo, M. JOH.

GOTTHELFF ROSA, Ord. Phil. Adjuncto, nunc Scholæ Rudelſtadienſis Directore ſolertiſſimo : In *Jure Naturæ* & *Gentium* a Doctiſſimo GERHARDO poſtea Prof. Publ. in Academia *ALTDORFFIENSI* nunc beatè defuncto: in *Theologia morali* vero a Celeberrimo per Orbem litteratum Theologo D. BVDDAEO fideliſſime inſtructus fuit. Ibidem porro Conſultiſſimos Viros, DITHMARVM & BECKIVM, illum *Inſtitutiones* Juris Civilis, hunc *Pandectas* interpretantem, audivit. Sicuti autem arbor juſto tempore transplantata uberius creſcit & fructibus mitioribus laudatior evadit; ita Noſter, ut doctrina creſceret, noſtrum hoc Reipublicæ atque Eccleſiæ Seminarium, Academiam nempe *VITEMBERGENSEM* ſub finem anni 1717. adiit, in qua Pro-Rectore Magnifico, Viro Excellentiſſimo, MICHAELE HENRICO GRIBNERO, tunc Pandectarum, nunc Codicis Profeſſore Celeberrimo, quem etiam inſignia merita, præſertim ſolidioris eruditionis laus, ac præclara publicarum rerum peritia, in Aulam pertraxerunt, atque ad munus & dignitatem Conſiliarii Aulici & Juſtitiæ, nec non Archivarii Intimi, evexerunt, jurè Civitatis Academicæ fuit donatus. Jure-Conſultos hic audivit Celeberrimos, & quidem in *jure Canonico* B. HORNIVM, ad *Digeſta* Viros Excellentiſſimos WERNHERUM & MENCKIVM, ad *Inſtitutiones* Conſultiſſimum BRENDELIVM, in *Jure Publico* & *Hiſtoria* tam *Univerſali*, quam ſpeciatim *Saxonica* Doctore gaviſus fuit fideliſſimo, Doctiſſimo SPENERO, *Matheſin* autem ſuperiorem, quam vocant (in inferiori jam domi fundamentis gnaviter posſitis) a M. Liberto fideliter edoctus fuit. Quibus ſtudiis abſolutis, ut alios etiam audiret Doctores, in Academiam *LIPSIENSEM* ſe contulit, ibidemque Excellentiſſimorum Jure-Conſultorum, MENCKENII, PHILIPPI, SCHACHERI, BARTHII & WEIDLINGII ſcholas ſedulus frequentavit. Rediit poſtea *JENAM*, atque ab ore Viri eruditiſſimi, BURCK-

BVRCKHARDI GOTTHELFF STRVVII, *Jus eccleſiaſticum, Hiſtoriam univerſalem atque Germanicam, nec non Illuſtrium controverſias*, a tempore pacis Weſtphalicæ exortas, explicantis, aliquamdiu pependit. Tandem ad nos reverſus precibus ab Ordine noſtro contendit, ut inter Candidatos Juris reciperetur. Ad Examen igitur utrumque, quod his ſubeundum eſt, admiſſus, in utroque egregios ſuos in Jure profectus, ad ea, quæ proponebantur, promte ac recte reſpondendo, ita probavit, ut digniſſimum eum, cui & cauſas in foro orandi, & ſummos in utroque jure honores obtinendi copia & poteſtas fieret, ipſum judicaverimus, quod illæ, quas ipſi d. XII. Jul. 1720. dedimus, tabulæ publicæ teſtantur. Curſu igitur academico, qua par eſt, induſtria abſoluto, plura experiendi atque exterorum mores, ſacra, & quæ ad cultum vitæ ſpectant, cognoſcendi, diſcendique ardore flagrans, exteras regiones viſum ivit, atque iter per *Bohemiam*, *Moraviam* & *Auſtriam* ad Aulam IMPERATORIS SACRATISSIMI, *Viennam*, ſuſcepit; In hac Auguſta Aulæ Imperialis ſede non ſolum Summi illius Judicii Imperialis Aulici inſtituta coram intueri, ſed etiam Conſiliariis Imperii Aulicis, aliisque Summis Viris, publicarum Imperii rerum peritiſſimis, innoteſcere licuit. Licuit quoque celebratisſimæ Urbis ſtatuta, regimen civile, ac politicam diſciplinam, itemque adminiſtrationem juſtitiæ, atque in tanto hominum confluxu commode vivendi modum, ſtudioſius obſervare. Dimidio anni ſpatio ibidem conſumto, in *Hungariam* profectus eſt, ac non ſolum inferioris illius regionis, urbes viſu dignas, ſed &, retroverſus Auſtriæ utriusque oppida, ad utramque Danubii ripam ſita, non curſim, ſed cum cura & mora, ut indoles cujusque loci & incolarum ipſi innoteſceret, luſtravit. *Salisburgenſis* poſtea Archi-Epiſcopi ditiones & ſedem, quam natura & ars ſtupendam fecit, per aliquod tempus contemplatus eſt. Inde *Oenopontium* perrexit, ac urbis ſplendore aliisque obſervatu dignis illectus, aliquantum ibidem ſubſtitit. Hinc per *Bavariam* regreſſus, ſplendidiſſimam Electoris aulam, quæ *Monachii* ſedem habet, viſit, & urbis illius regimen, aliaque notabiliora animadvertit. Poſtquam vero ulterius per *Sueviæ* & *Franconiæ* terras progreſſus, præcipuas Imperii urbes obvias aut circum ſitas vidit, earumque

que ordinationes, ſtatuta & quæ ad rem civilem pertinent, pari ſtudio perſcrutatus fuit; *Ratisbonæ* per aliquot menſes commoratus Comitiorum, quæ ibi habentur, rationes diligentiſſime cognoſcere anniſus fuit: ſummis quoque ſplendidiſſimisque nonnullis Imperii Ordinum Legatis notus factus. Peractis hac ratione non ſine fructu itineribus, atque menſe Febr. A. 1722. Dreſdam redux factus, citra moram ea, quæ in Academiis didicerat, ad uſus ciuiles transferre conatus eſt, atque hinc ad cauſas in foro orandas animum adjunxit. Exhibitis igitur conſuetis ſpeciminibus d. 19. Mart ej. anni in numerum Advocatorum receptus eſt, quo munere etiam ſatis dextre usque adhuc, in cauſis ipſi demandatis, eſt perfunctus. Cumque jam ipſe non ſolum varia eaque præclara eruditione ornatus, ſed etiam prudentiæ ac in rebus gerendis dexteritatis laude clarus, ad nos rediiſſet: non dubitavit Ordo noſter, Summos in utroque Jure Honores, quos modeſte ambiit, atque dudum promeruit, ceu præmia virtutis & ſtudiorum, quantocyus ipſi conferendos, decernere; atque hunc in finem ad *Diſputationem*, quam vocant, *inauguralem* de *JVRE CIVIVM MISNIAE ET THVRINGIAE ACQVIRENDI FEVDA EQVESTRIA*, ſub Præſidio Viri *Magnifici* atque *Excellentiſſimi* DN. GODOFREDI LVDOVICI MENCKENII, Anteceſſoris in hac Academia Celeberrimi, proxima die Jovis, horis conſuetis, in Auditorio Majori, publico examini ſubmittendam, eum admittere. Quem Actum ut *MAGNIFICVS ACADEMIÆ RECTOR, ILLVSTRISSIMVS COMES, PROCERES ACADEMIÆ* ac *CIVES, LITTERARVMQVE FAVTORES*, præſentia ſua honorifica ſplendidiorem reddere haud dedignari velint, & Ordinis noſtri, & Candidati, nomine, obſervantiſſime humaniſſimeque rogito, officiaque noſtra promtiſſima paratiſſimaque viciſſim ipſis polliceor. P. P. Dom. II. a Feſto SS. Trin. Sacro, A. R. S. MDCCXXIV.

WITTENBERGAE,
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.